DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. FEBRVARII,

M. NICOLAO LANGLOIS, Doctore Medico, Moderatore.

An Hibernum aërem captare ſalubre? 927.

SANITAS, quæ actionum integritate æſtimatur ac circumſcribitur, à firma corporis atque humorum temperatione pendet, & multis, qui eam circumuallant, externis caſibus, ac periculis obnoxia, crebras habet ac maximas in vitæ curſu mutationes; has autem cient tum cœli ſtellarumque influxus, ac motus, tum verò aëris viciſſitudines, annique tempeſtatum conuerſiones, quarum diuerſos ortus numeramus, communes, Aſtrologicos, Medicos; illæ quidem nullos per ſe morbos creant, nec vllis vitiis laborant, ſed certis quæ illas ſequuntur, qualitatibus, infeſtæ ſunt valetudini. Inter eas Æſtas atque Autumnus malorum feraciſſimæ, Ver quaſi in medio poſitum, boni malique particeps, nec magis quibuſdam fortunatum, proximè ab eo ſaluberrima eſt Hyems; quanquam dubitari poteſt, vtra tempeſtas ad ſanitatem optabilior, hæc abſumendis, illa foràs propellendis humoribus idonea: nec facilius dictu eſt, quo in cœlo præſtet naſci, vbi calor immodicus, an vbi immodicum frigus. Sed quamuis nec cœli, nec aëris natura quidquam per ſe in vitam mali ferat, quæ tamen ſenſim emergunt, & ſponte coaceruantur in nobis, monent ad ſanitatem tuendam quatuor anni temporum habendam eſſe rationem, & cuique mortalium aduersùm ſingulas proſpiciendum. Hyeme quidem nemo ſibi valetudinem lare & foco pigritiâ ac veterno, intermiſſis exercitationibus, ſuſtentandam putet, arborum hæc vita, aut conchyliorum, non animantium, aut hominis. Vt oculus viſu, vox ſermone, ſingulæ potentiæ actione perficiuntur; ita opere aut labore obeundo ſanitas; hac ratione calor innatus vegetus & viuidus mobilitate natiuâ fruetur: quam in rem maximas opportunitates hyems ſuggeret, cui non leues exercitationes congruunt, ſed vehementiores, pilæ ludus, curſus, venatio, ludicrum armorum, per ardua montium aſcenſus; quibus calor innatus, in quo vitæ ac ſanitatis ratio poſita, recreatur & augetur; iners autem ac otioſa vita bonæ valetudini aduerſatur, oculis, palato, capiti, ſtomacho, toti corpori, ſed calido natiuo plurimùm, quod humoris excrementitij copiâ facilè obruitur & extinguitur.

FRIGVS caloris tantùm eſſe priuationem caue credas, vt tenebras lucis, aut quietem motus, inane aëris; niſi fortè & Hyemem æſtatis eſſe diſceſſum putes, aut Aquilonem Auſtri abſentiam, quod eſt ἄλογον. Frigori ſua vis, ſuum pondus, gradus ſui velut aculei ac lacerti. Ab eo figlina atque ærea vaſa frangi miramur, quod concretione rerum percipitur, vt calor laxitate ac tepore, quanquam ſimul vtrumque, calorem, inquam, & frigus deprehendimus, & permixta calidis frigida cernere eſt, vt albis nigra, acuta grauibus, dulcibus amara. Tanta autem ac tam latè diffuſa vis ac moles frigoris, vt tria elementa peruadat. Ab aëre quidem proficiſcitur quæ æſtum ac ſudorem excipit refrigeratio, niuis, grandinis, pruinæ genus omne, aquarum, quæ facillimè diffunduntur & inſtabiles ſunt, congelationes; qui maximus ac potentiſſimus frigoris effectus, vel hoc argumento, quòd fluminum ſola ſuperficies gelu concreſcat, ſed frigoris parens atque principium aqua eſt, & ædes quæ fluuiis lacubus aut fontibus ambiuntur, amœniores quidem at frigidiores; æſtate iuuat ad firmandam valetudinem viuis ſe fluminibus immergere, potus tamen aquæ niualis aut glacialis noxius; cùm vapores qui ab aqua efferuntur maximè gelidi ſint, ac propterea tonitruum cauſæ. Ineſſe quidem rebus humidis frigoris cauſam perennem, ex lignis viridibus atque humentibus liquet. In terra, quamuis minùs & obſcuriùs, ratio non planè abſimilis, quippe quæ vbiuis dura, grauis, denſa, ac velut æterno frigore concreta; an illud ab æthere ſummo procul depulſum in imis terræ viſceribus reconditum? ſanè merum eſt totum quicquid illic eſt; atque omnis expers mutationis? an ab eodem montium & ſaxorum moles concretæ & firmatæ? Certè aquæ gelidiſſimæ ex præruptis ſaxis, aut altiſſimis montibus manant; & à frigore foſſilia multa vim acceperunt adſtringendi, & ſilices potum reddunt frigidiorem; ab his elementis ſi quid nos afficit inficitue, frigoris fermè vnius operâ quaſi ventilatione defertur.

VENTILATIO hæc afflatus eſt auræ tenuiſſimæ, quâ ſpiritus propè igneus ſiniſtro cordis ſpecu concluſus, omniſque compages corporis calore exæſtuans velut leni flabello recreatur, & frigidioris aëris ſimul & ſenſim permeantis hauſtu atque impetu pulſata firmatur, qui & calorem apertis nimiùm poris expirantem ſiſtit ac coërcet. Hanc ſol feruentiſſimâ æſtate ex lacubus, ſtagnis, fontibus ac fluuiis elicit, quæ tamen in pabulum ardoris faſceſcens momento temporis perit & abſorbetur, nunquam magis quàm diluculo vel crepuſculo aſpirans; veſperi enim aquis diurno calore tepefactis attolluntur vapores quidam tenues, qui cum nocturno tempore diffundantur, ad auroram vſque vires ſuas exerunt, donec rurſum ſolis flagrantiâ exareſcant ac profligentur. Quidni ergo fax illa mundi hyeme quoque minùs dulcem, at vitalem quandam auram ex fluuiis, niuibus ac locis glacie concretis excitabit? Eius virtus licet algore tempeſtatis fracta & infirma videatur, luceatque potiùs quàm vrat, proderit tamen ambulatiuncula ad ſanitatem, ſole in meridiem prouecto, cœlo tranquillo ac ſudo, eritque iucundum ac ſalubre tunc ſuaues ſolis radios experiri, aëre brumali perfrui, auram illam frigidiuſculam ab extima niuium, glaciei, pratorum ſubuireſcentium, aut naſcentium frugum ſuperficie erumpentem captare. Seligendus in eam rem amœniſſimus quiſque dies à Vergiliarum occaſu ſerenus, vento quàm minimè agitatus, permeet aër ab æthere lucidiſſimo ad terram nitidiſſimus, procul ab eo ſint nubes, niues, pruina, procellæ, nimbi, grandines, à quibus grauedines, tuſſes, corizæ, raucedines, oculorum morſus, pleuritides, perniones, σβίσις, ſiderationes in hominum capita deriuantur. Sed hyemalis iſta frigoris captatio, vt ante Arcturi finem præpropera, ita poſt Æquinoctium nimis tarda ac ſera; Quemadmodum enim multas alites extinxit præmaturus algor aut præpoſterus, ſic plurimùm incolumitati obeſt hyems aut προχειμάζουσα, aut ſerius ἀποχειμάζουσα; quam etiam non minimùm perturbant venti, ſperatum ex aëre ſubalgido fructum ſæpiùs eripientes.

VNVS Aquilo anniuerſarius ex altiſſima cœli parte ſub ipſis Vrſis, à meta Riphæorum montium ſpirans, atque interdiu ſemper vehementior, aërem vehit auramque ſicciſſimam ac ſaluberrimam à Scythica niue hauſtam. Hic, vt primum nos afflauit, violento motu ac ſonoro aërem naturâ ſuâ purum atque ſimilem inani, ſed terreno halitu ac vapore inquinatum, à quo mira pernicies oritur, luſtrat, euerrit, expurgat. Cùm autem ſe rectà in Auſtrum nebuloſum atque humidum conuertit, momento temporis videas hùc referri nubes vnde venerint, caliginem diſcuti, exſiccari amnes, ſerenitatem cœlo reddi, putredinis labem, procul amandari; hinc fit vt in Ponto (cui ille potiſſimùm inſidet) nulla frumenti rubigo, nulla in corporibus humorum corruptio, nulla aëris lues, ſed cuncta quaſi placatis in aëre turbinibus, ſedatiſque in mari fluctibus, læta frigore vigeant & placidè ac ſalubriter conſeneſcant. Ab eo Eteſiæ, Prodromi appellati, ſqualorem ardore Sirij auctum temperantes, velut Aquilonis penu deprompti; contrà Fauonius tepore nimio nubes effert, nimio Veſperam humore fœdat, venatoribus infenſus: Corus grandines inuehit, Africus pluuiam oſtentat: Eurus, ſi eo ſpirante maiores ſe rerum ſpecies offerant, inſalubris. Auſter omnium longè nocentiſſimus, flans ab axe Meridionali frigidiſſimus maximaque flumina ac maria prætervectus, vapores vndecunque egelidos colligit atque importat; dumque hocce tepore blandiri nobis & adulari videtur, præſertim nocte, procellas, vertigines, turbines, Σαρύτητας, putredines, halitus fœtidos, capitis, mentiſque grauitatem, denique & lethum accerſit. Non aliter Cenchron Phaſianis olim noxius, Circius Galliæ Narbonenſi, Ἰάπυξ Apuliæ infeſtiſſimus; Cæcias inſidioſus ac perfidus, aliique non pauci ſuæ quiſque regionis indigenæ, omnes firmandis corporibus aduerſantes, velut Antelucani, aut è ſpecu erumpentes, qui vel aſſiduo mundi motu, vel contrario ſyderum occurſu producuntur: officiunt etiam excuſſi è nubibus, qui tractu aliquo non vbiuis regnant, ac Tropæi qui per mare tantùm feruntur.

ID vnum quod ab Aquilone eſt frigus, ſalutarem ac vitalem ſpiritum animantibus præbet; à quo nullus mortis aut morbi metus, ſine quo vix vllum animal aëreum ac terreſtre vitam ducere poteſt incolume: hoc Scythiæ, Thraciæ ac Ponti gentes μακροβιώτατοι perfruuntur, æuumque ad ſummam ſenectam optimi valetudine ac viribus integris propagant; nobis quidem breuiſſima illius vſura conceſſa eſt, vix menſis vnius ac dimidij ſpatio circumſcripta, quòd ſaluberrimum illius afflatum creber & noxius Auſter ſiſtat aut adulteret. Quoties autem nocturno ſtellarum fulgore præſignificatus ſpirauerit interdiu, calorem innatum in corde velut in foco exardentem ventilabit, aut excitabit torpentem, ſurſum, deorſum, & quoquouerſum impellet. Atque vt ignis fabrorum in vſtrina flabello ſuſcitatus aut aquæ tantulo perfuſus acrior fit, ac vires intendit magis, nihilo ſeciùs auræ frigidæ motu ac ſpiritu creſcit ingenitus calor, accenditur, puriùs micat, & ad cæteras functiones corpori nouum robur ſuppeditat; hinc flante Aquilone reſpiratio placidior etiam Phthiſicorum, vox canora, ſagacior olfactus, auditus acutior, ὄρεξις maior, ſomnus longior ac ſuauior, mens ſublimior, vniuerſi corporis moles externo frigore compacta leuis atque expedita: humida ſi quæ abundant, faciliùs ac validius quàm à ſole detergentur & exſiccantur; vnde ſtabilitas quædam & firmitas virium ſequitur, non otioſa illa & ſegnis, ſed grauis & conſtans fulciendi & cohibendi virtute prædita; ſic & ferrum candens intinctum in aquam gelidam, vel ramentis aut ſcobe marmoris conſperſum ſtabilitur. Tùm autem hanc in aëre frigido exercitationem profuiſſe puta, cùm ab eâ corpus leuiter inhorreſcet, & calor vtcunque ſe victum ſentiet, hac enim ceu lucta & certamine, dum à calore ſenſim frigus ſuperabitur, corpus intepeſcet ac relaxabitur, quod ἰαίνεσθαι eſt; ſpiritus ab algido ambiente priùs retenti, quoquouerſum prorumpent, quorum ſubſidio adaucta natiui caloris virtus, nec ſuæ iam copiæ ſatis capax, humidum quoddam aëreum, calidum, halituoſum aut fumoſum per cutis meatus extrudet, (qua ratione videas piſcatores ac nautas hyemali tempeſtate toto corpore, vt & maria, & puteorum aut fontium aquas, manus quoque ipſas in niuem illatas fumum emittere) totum corpus ab aura frigida paulatim, ſed ſuauiter, æqualiter, ſalubriter incaleſcet.

Ergo Hibernum aërem captare ſalubre.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL DVPONT Bleſenſis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.